

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level Two Medieval Latin Examination

17 April 2014

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. The opening of a sermon addressed to the clergy of London (Thomas Brinton)

Cum stare sit proprie perfectorum, prelati et predicatorum tamquam ceteris perfectiores, iustiores, et sanctiores debent dupliciter bene stare: primo in fide catholica ipsam viriliter defendendo, dicente apostolo (I Cor. 6) "Vigilate, state in fide, viriliter agite," et cetera. In signum quod nos prelati adeo vocati ad gubernacionem Noe, patriarchatum Abraham, dignitatem Aaron, auctoritatem Moysi, potestatem Petri, unctionem Christi, non solum pro fide defendenda constanter "stemus in ea vocacione qua vocati estis" (I Cor. 7), sed alios formaliter stare corditer animemus duplici racione: primo "quia licet oporteat omnes stare ante tribunal Christi ut referat unusquisque prout gessit in corpore" (2 Cor. 5), nos tamen prelati et curati stabimus ibi ad tres questiones difficiles responsuri: primo, si beneficia nostra iusto titulo intrauimus, videlicet per canonicam electionem, postulacionem, nominacionem, translacionem, vel quamcumque aliam legitimam prouisionem, non litteris procuratis, non precibus indignis, non per violenciam... sed sancta affectione animas lucrandi et spirituales filios procreandi.

2. A pact of mutual support: 1405

Hoc anno Comes Northumbriae fecit legiam et confederationem et amicitiam cum Owino Glendor et Edmundo de Mortuomari, filio quondam Edmundi Comitis Marchiae, in certis articulis continentibus formam quae sequitur et tenorem:

Primo quod iidem domini—Owinus, Comes, et Edmundus—erunt amodo ad invicem conjuncti, confoederati, uniti, et ligati vinculo veri foederis et verae amicitiae, certaeque et bonae unionis. Iterum quod quilibet ipsorum dominorum honorem et commodum alio volet et prosequetur ac etiam procurabit, dampnaque et gravamina quae ad unius ipsorum notitiam devenerit, per quoscumque alicui ipsorum inferenda, impediunt bona fide. Quilibet quoque ipsorum apud alium agere et facere ea omnia et singula quae per bonos, veros, et fidos amicos, bonis, veris, et fidis amicis agi et fieri debent et pertinent, fraude et dolo cessantibus quibuscumque. Item, si et quotiens aliquis ipsorum dominorum sciverit vel cognoverit aliquid gravaminis sive dampni procurari sive ymaginari per quoscumque contra alium, ipse juvabit, ut adversus malicias huiusmodi, prout ei visum fuerit, sibi valeat providere.

3. Charlemagne lays out Aachen in the image of a new Rome.

Exsuperatque meum ingenium iustissimus actis
Rex Karolus, caput orbis, amor populi que decusque,
Europae venerandus apex, pater optimus, heros,
Augustus: sed et urbe potens, ubi Roma secunda
Flore novo, ingenti, magna consurgit ad alta
Mole, tholis muro praecelsis sidera tangens.
Stat pius arce procul Karolus loca singula signans,
Altaque disponens venturae moenia Romae.
Hic iubet esse forum, sanctum quoque iure senatum,
Ius populi et leges ubi sacraque iussa capessant.
Insistitque operosa cohors; pars apta columnis
Saxa secat rigidis, arcem molitur in altum;
Ast alii rupes manibus subvolvere certant,

Effodiunt portus, statuuntque profunda theatri
Fundamenta, tholis inclaudunt atria celsis.

4. Guido de Colonnis: reasons for a new history of Troy.

Suis diebus maxime auctoritatis Homerus apud Grecos eius ystorie puram et simplicem ueritatem in versuta uestigia uariauit, fingens multa que non fuerunt et que fuerunt aliter transformando.... Virgilius etiam in opere suo Eneydos, si pro maiori parte gesta Troum, cum de eis tetigit, sub ueritatis luce narrauit, ab Homeri tamen fictionibus noluit in aliquibus abstinere. Sed ut fidelium ipsius ystorie uera scribentium scripta apud occidentales omni tempore futuro uigeant successiue, in vtilitatem eorum precipue qui grammaticam legunt, ut separare sciant uerum a falso de hiis que de dicta ystoria in libris grammaticalibus sunt descripta, ea que per Dyctem Grecum et Frigium Daretem, qui tempore Troyani belli continue in eorum exercitibus fuere presentes et horum que uiderunt fuerunt fidelissimi relatores, in presentem libellum per me iudicem Guidonem de Columpna de Messana transsumpta legentur, prout in duobus libris eorum inscriptum quasi una uocis consonantia inuentum est Athenis.